

Dissertatio medica quaedam de moschi et salis alk. volat. usu, in febre nervosa et gangraena, proponens : quam, annuente summo numine : ex auctoritate dignissimi vice-cancellarii, Archibaldi Davidson, S.S.T.P.P. et Collegii Glasg. praefecti, necnon amplissimi Senatus Academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto, pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus et privilegiis rite et legitime consequendis, in comitiis Universitatis Glasguensis / eruditorum examini subijcit Robertus Darbey.

Contributors

Darbey, Robert.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Glasgow, 1790.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fgyetm3b>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISSERTATIO MEDICA


QUAEDAM DE

MOSCHI ET SALIS ALK. VOLAT.

U S U,

EBRE NERVOSA ET GANGRAENA,

PROPONENS.



1st Mar

DISSERTATIO MEDICA
QUAEDAM DE
MOSCHI ET SALIS ALK. VOLAT.
U S U,
IN FEBRE NERVOSA ET GANGRAENA,
P R O P O N E N S.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,
ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGI GLASG. *Praefecti*;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu.
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;
IN COMITIIS
UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS DARBEY, A. M.

SOCIET. LIT. ET PHIL. MANCUNIENSIS SOCIUS.

Ad diem i. Aprilis, hora locoque solitis.

GLASGUA E:
IN AEDIBUS ACADEMICIS,
EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS
M.D.CC.XC.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

VIRO REVERENDO,

JOANNI DARBEY,

FRATRI SUO DILECTO;

NEC NON

THOMAE PERCIVAL, M.D.

AMICO SPECTATISSIMO;

TENTAMEN HOC MEDICUM

INAUGURALE

SACRUM ESSE

VOLUIT

ROBERTUS DARBEY.

THIS OFFICE

JOHN D. BERRY

THOMAS B. BERRY

THOMAS B. BERRY

THOMAS B. BERRY

THOMAS B. BERRY

THOMAS B. BERRY

THOMAS B. BERRY

THOMAS B. BERRY

THOMAS B. BERRY

THOMAS B. BERRY

P R A E F A T I O.

DUM Mancuniense apud Valetudinarium, aegrotis fere affidens, Chirurgi domestici atque medicamentarii muneribusungebar, summa mihi, medicorum nosocomium adeuntium praxin et chirurgicam et medicam, observandi facultas fuit. Cum hocce in Nosocomium aegrorum, quibus manu munifica distribuuntur medicamina, millia tria quatuorve fuerint quotannis deducta, fieri non potest, quin varia admodum sint morborum exempla, scopusque medicinae adhibendae amplissimus. Ex morbis rariores multos et eorundem administrationem curâ annotârunt, inque lucem, attentionem medicorum optime merentes, edide-

runt medici et ordinarii Chirurgi; nemo autem, quantum in memoria nunc teneo, suum animum directò ad effectus bonos, quos, in febre typhode atque membris gangraena affectis adhibita, praestiterunt Alkali volatile et Moschus, haftenus attendit. Est mihi igitur in animo paginas sequentes occupare, quaedam de febre typhode, seu nervosa, atque gangraena proponendo, et simul effectus, quos optimos et salutare ex supradictis medicamentis ortos ipse vidi enarrando, et praecipue exemplis confirmando.

In magna febrium varietate, quam in Mancunio et vicinitate, viginti per annos, videndi facultas fuit, frequentior ea est notata, quam Nosologus clarus Cullen TYPHUM MITIOREM appellavit. Typhum pro febris genere habens, ipse cum hisce verbis definivit;

“ Morbus contagiosus; calor parum auctus; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; Urina parum mutata; sensorii functiones plurimum turbatae; vires multum imminutae.”

Inter Anglos primo et non, nisi nuper admodum alias inter nationes, nomen NERVOSAM sibi naeta est haec febris, sub quo titulo, de ea fuse dis-

ceptarunt Sydenhamus, Wintringham, Huxham, Lind, aliique medici scriptores. Parum refert, qualia nomina ei imposuerint auctores; quamobrem,

SYMPTOMATA COMMUNIA,

QUALIA mihi sese obtulerunt, ante recensebo quam administrandi methodum proponam. Causa admota, spatio temporis incerto, conqueritur homo de rigoribus primum levioribus, et frigoris sensu: illi sensus ingrati, praecipue sub vesperem, cum calore alternant. Interea obrepunt lassitudo et torpor, atque motus voluntarius magna ex parte deficit vel aegre perficitur: corpus totum, contusum quasi, dolet; dolent maxime caput, dorsum, et lumbi; vertigo, corpore erecto, saepe molestat, cui accedit animus tristis, demissus. Cibi appetitus deficit; praesertim illius, qui ex carne conficitur. Vomitus simul adest vel ad vomendum nisus, dum anxietatis sensus praecordia graviter opprimit.

Micant primo arteriae multo solito frequentiores, sed ipsi pulsus plerumque parvi et debiles,

nec raro quoque tremuli. Spiritus ut plurimum aegre alternatur, sic ut anhelare potius quam spirare dici possit aeger. Febre primum superveniente, pedes frigent, atque, non secus ac extrema corporis superiora, multum imminuuntur. Exiguus papulis quasi obsidetur cutis arida, unde nomen *cutis anserina* nata fuit.

Haec sub vesperem intenduntur omnia signa aegrumque magis magisque angunt. Caput maxime nunc dolet et gravatur quasi; et dolor ab occipite ad frontem secundum futurae sagittalis tractum tendit. Interea fugatur somnus, et horae lumen afferentes summopere exoptantur.

Lingua plerumque per aliquot dies haud a conditione sua sana multum abest, demum autem arefcit, et aliquando foveis quasi finditur, ni cura adhibita sit. Sitis initio aut nulla aut modica, saltem rarissimi tam inexplibilis, quam in febre inflammationem habente est.—Urina varia observatur; generatim nullam mutationem notatu dignam subit: aliis primo pallida, aliis limpida; procedente morbo, fit saepe rubida vel fusca simulque sedimentum, deponit et, urgente periculo admodum foetet.

Alvus haud raro supprimitur, saepe finem
versus liquatur, adeo, ut, inscio homine, non-
nunquam saniosa, cruenta dejiciatur. Calor in-
cursu morbi primo parum augetur, et rarius qui-
dem in decursu insignem ad gradum unquam as-
cendit; aliter vero in exemplis paucis est, ubi non
modo aret, sed ardet vehementer, cutis. Nunc
etiam lingua exerta tremit.

Satis mitia plerumque sunt signa, neque mul-
tum periculum denotant, ante diem quintum, vel
sextum, cum in pejus ruunt haec omnia. Mens
alienari incipit; et, submotu leviori, aliquando
animo linquitur aegrotus. Oculi paulatim hebes-
cunt, atque gravantur Palpebrae; oppressio et
anxietas circa pectus intenduntur; subest quoque
devorandi difficultas. Rubent, instante periculo,
summae genae; debilissimae micant arteriae et in-
terdum abnormes. Propter vasorum et cutis lax-
itatem sudor tenax quasi et frigidus promanat.
Progrediente morbo, vires deficiunt, donec de-
bilitas, ad extrema perducta, mortem infert.

Qui ad Typhum proclives observantur, homi-
nes sunt habitus plerumque laxati et ob largas ex-
inanitiones debilitati; qui vitae genus iners de-

gunt, et aëra maxime inquinatum, foetidumque spirant: ii quoque quibus animus demittitur tristis, atque motibus laetis excitatur praeter solitum.

Calor utpote qui corpus primo incitet, dein infirmet, et mobilius et irritatu facilius reddat, quandam opportunitatem nec raro dare videtur. Frigus intensum diuque applicatum prae aliis fere omnibus, opportunum reddit corpus; hinc, apud multorum sententiam, causa unica multarum febrium existit. Ebrietas iterata, ingluvies, nimia Venus, negotia quibus valde incumbunt homines, atque pervigilia ob proclivitatem, quam creant, incusantur.

Quod causam excitantem attinet, incertum est an praeter halitum humanum, qui, ex febricitantibus oriens, hinc inde per aera dispergitur, vel fomite transportatur et hominibus jam factis proclivibus ad actionem febrilem suscipiendam admovetur, aliae existant, necne: hoc certe novimus, quod in plurimis exemplis contagio vera sit causa; vestigia enim ejus clare cernuntur primo ab exortu ad effectus quos in corpore, cui applicata sit, praestiterit. Multa autem experien-

tia et observatio assidua requiretur ab illo, qui causam solam excitantem esse contagionem comprobaverit.

ADMINISTRANDI METHODUS.

Ex supra comprehensis aegrotum evacuationes copiosas parum tolerare posse, perspicuum est. Sin capitis dolor principio febris plurimum urgeat, temporibus tres quatuorve hirudines singulis affigere fas judicamus. Tunc quoque temporis Emetis lenior, et mitiora, quae, non, nisi alvum ducunt, cathartica profunt. Diaphoresin movisse tenuem, vel jam presentem sustinuisse, fortis pedibus furisque applicati auxilio, potu quodammodo falso, vel aquoso tepido, in plerisque casibus optime votis respondit. Huc etiam conferunt vinum antimoniale, Tartari Emetici solutio, dosibus parvis et longa post intervalla adhibitis, serum vaccini lactis, Christalli Tartari cum saccharo magna ex aquae copia soluti, quod potus *imperialis* vulgo nuncupatur.

Quibusdam in exemplis ubi parum idonea videntur Antimonialia, haec profuit mistura: Re-

cipe Spiritus Minder. Uncias quatuor, aquae Menthae simplicis uncias tres, Syrupi e Meconio unciam: Misce. Capiat cochlearia quatuor quarta vel sexta quaque hora; si forte liquata nimium fuerit alvus, addidisse Laudani Liquidi guttas paucas dosibus hujusce singulis proficeret. Haec animum antea turbatum mire mulcere solent, somnumque reficiendum conciliare. Si nausea et molestiae sensus in praecordiis febricitantem fatiget, siue nullam levationem emetica jam data attulerint, grana quindecim Alkali volatilis mitis atque acidi cujusdam vegetabilis paululum sic adhibere, ut in ventriculo effervescentia obtineatur, licebit.

Si aliquot dies ante febris accessum astricta fuerit alvus, pauca Mercurii dulcis grana, granumque vel dimidium Tartari Emetici magna cum utilitate praescribentur: hoc modo nec raro vomitu leni et alvi dejectione praegressa, penitus fugatur febris.

Siquando spasmodica vel motus musculorum convulsivi, tremores fere dicti, oborti fuerint, Camphora, Julepi forma, atque opium praecipienda sunt. Epispastica quoque, rebus se ita habentibus, saepe saepiusque profecisse vidimus.

Per totum morbi decursum maxime sub finem subinde detur vini generosi poculum, vel, si aegro gravior sit, cerevisia fortis, quae vim vitalem sustineant. Opium in hac febre parce atque caute, bonum, large aut incuriâ administratum, malum plerumque remedium inveni.

In ejus igitur locum quaedam alia, quae nostris votis optime responderunt, in febre typhode substituere moneamus. Moschus multum odoris nec ingrati plerisque exhalat, et ideo vim magnam in genus nervosum exserit. Pura conditione, et granorum decem vel quindecim quantitate adhibitus, antispasmodicum valentissimum est.

Sal volatilis alkalinus medicamentum est quod magna vi stimulante praeditum observatur. Ea conjuncta effectus mirandos saepe in hoc febris genere praestare vidi. E plurimis, quae proferre valeam, exemplum unum excerptum subjicere lubet.

Quaedam Virgo honesta annos novemdecim nata, constitutionis mollis, animi autem hilaris, subito et evidente sine causa animo linquebatur. E deliquio auxiliis, quibusdam familiaribus revocata diem reliquum noctemque insequentem an-

xia, languida et inquieta agebat. Proximo die leviter subinde rigit, a cibis omnibus abhorruit, animumque maxime depressa fuit. Praeter haec, ante quartum morbi diem, signa vix ulla alia orta. Nunc vertigo, capitis dolor, torpor et lassitudo generalis atque infomnia perpetua fere vexare vehementer inceperunt. Medicus statim accitus, atque praescriptum est emeticum, quod et vomitum ciebat et alvum. Fomenta ad pedes cruraque, et pulveris febrifugi Jacobi grana duo quaque hora tertia, praecipiebantur. Cutis sensim mollior et humida fiebat; nox quiesca et infomnis tamen transacta est. Sub vesperem animo iterum linquebatur, quo recuperato, aegra signa omnia graviora agnovit: insuper addita sunt suspiria; pulsus parvi, frequentes numerati sunt, et cutis sicca arsit. Pulvis Jacobi modo supradicto datus et ventriculum et alvum movit. Inter ejus anxiae et plurimum oppressae scapulas, admotum est Emplastrum Epispasticum, atque dosibus pulveris Jacobi singulis addita Camphorae grana tria et Tincturae Thebaiacae guttae quinque sunt. Nocte morbi septima somno horas duas gaudebat. Cutis iterum humida est facta atque pulsus secun-

dum naturam fere numerabantur. Horae autem vespertinae mentem turbatam nec satis fui compotem afferebant. Lingua deficcata est et extra labia exerta valde tremuit.

In hoc statu ad diem decimum sextum usque a morbi principio manebat; quo tempore durante, alkali volatile aëratum et limonum succum inter effervescendum, Julepum e Camphora cum Tinctura Thebaica, confectionem Cardiacam, Corticis Peruviani tincturam et vinum Madeiriense sumsit. Pulvis Rhoëi consilio alvi solvendae subinde parvis dosibus praescriptus est. Nunc primum mihi contigit eam visere. Linguam inveni aridam, sudores tenaces frigidos, Singultum vehementem, atque devorandi facultatem fere amissam. Mors, ne verbis nimius sim, imminere visa est. Salem Cornu Cervi et Moschum ad grana utriusque sex ex cochleariis duobus Julepi e Camphora statim sumendos, et eandem dosin quaque secunda hora repetendam, proposui: Uncias vini Madeiriensis quatuor per anum injiciendas omni sexta hora quoque curavimus. Horis duodecim post dosin primam elapsis, symptomata omnia levabantur: evanuerat fere singultus, humor-

que tenuis et calor jucundus cuti redierat. Eadem de die, continuata medicamenta; et nocte, somno erat resecta aegria. Insequente, alvus clysmatis ope communis die ducta est, aliaque remedia ut antea sumpta. Noctis proximae grato in somno horis ad minimum quatuor transactis, sui compos mane excitata Coffeae infusum cupivit, cujus paululum satis avide hausit. Ex hoc medicinam singulis tantum quatuor horis iterandam iussimus, vinumque quoad potuit bibendum. Sensim hoc ab die (vicefimo Scil. secundo morbi) convaleuit. Moscho et sale volatili omissis, in eorum locum substituta Corticis Peruviani decoctum vinumque rubrum sunt. In axilla dextra oboriebatur tumor dolens, qui paulatim abscessit, et satis facile curationem accepit. In rus, ubi valetudinem cito recuperavit perfectam, cum primum motionem tolerare potuisset, abibat.

DE GANGRAENA EJUSQUE CURATIONE.

Auctores fere omnes, qui hoc de vitio scripserint, duas corporis conditiones diversas et sibi invicem oppositas, quae incursum gangraenae praec-

cedant, notarunt. Causa quidem hujusce vitii continens simplex videtur et in omni exemplo eadem, VIS nimirum VITALIS DEFECTUS. Hunc vero in exemplis quibusdam defectum praecire percipiuntur vasorum actio nimis vehemens, eorundem distensio, calor ingens, irritabilitas sensusque eximius atque inflammatio. In aliis antecedunt haec signa; laxitas scilicet vasorum, debilitas et solidorum omnium infirmitas, sensus visque irritabilis imminutio; neque partes, gangraena laboraturae, solitis stimulis admotis parent. Istiusmodi gangraena robustos, juniores, et eos constitutionis sanguineae, hujusmodi autem seniores infirmos, laxos et debiles praesertim adoritur. Utrumque vero exemplum, cum jam supervenerit vitium ipsum, eandem curationis methodum aufcultat.

Talem gangrena ex inflammatione gravi orta progressum servat. Cutis color quae antea laete rubuerat, plumbeus seu lividus fit, dum in ejus superficie serum tenue, acre, continentes vesiculae disponuntur;—dolor levatur;—pulsus arteriarum quoad vim minuuntur, sed simul frequentiores sunt; tumor, si antea ullus extiterit, flaccet.

eit;—nigrescit demum cutis. Vesiculis disruptis,
 ichor profunditur subflavus;—Sensus omnis in-
 terea amittitur, tamque celeriter serpit vitium, ut
 paucas saepe horas syncopen et lethum ipsum affe-
 rat. Progressum, mera ex debilitate, et vi vitali
 directò amissà, oborta gangraena insequentem fe-
 re habet. Incipit plerumque ab artubus extremis
 et pedum vel manuum digitis: senes ut supra dic-
 tum, et longis morbis tentatos invadit, eos quo-
 que corpora quorum effoeta ullo modo, et quo-
 rum membra frigori intensissimo exposita, sunt.
 Imprimis insolitum torporem sentit aeger et paulo
 post livida macula conspicitur, quae pedetentim
 increfcit: haec sine sensu est, et sine notabili in-
 flammatione aut tumore totum membrum. Cutis
 tamen, vitio vicina, paululum rubet, atque solito
 mollior est. Interea tarde praecipue in extremis
 partibus serpit. Putre ulcus ab initio humidum,
 et humor, qui ex eo fertur, mali et cadaverosi o-
 doris, est. Demum fit membrum nigrum, aridum,
 carnes durae et friabiles quasi. De dolore fere
 nullo conqueritur aeger, saepe vero linquitur a-
 nimo. Haec signa omnia plane docent generalem
 vis vitae imminutionem, qua scilicet saepius in

partibus a corde remotis deficiente, cessat sanguinis circuitus, calor vivificans vitaque demum ipsa.

His de gangraena generali demum propositis, in animo est ad ejus curationem attentionem advertere, eandemque, exemplis duobus vel tribus, quae ipse vel omnino vel aliqua saltem ex parte, administravi subjiciendis, illustrare.

Dom. P. circiter ann. 57 natus, haecenus inertem vitam degerat; victu lautiore, et liquoris fermentati fortioris multo usus est. Hinc potius obesus, et nuperis annis, constitutionis laxae, flaccidae, factus fuit. Mense Octobri anno 1781, crus utrumque corripit Erysipelatosa inflammatio, quae, ut mos plerumque est, cito vesiculas in plurimas, et eae exigua in ulcuscula, brevi tantum manentia, abierunt. Unum circiter post mensem, alterius cruris sensus pene atque subito abolitus est. Nocte durante, de dolore quodam singulari, quem primo arthriticum judicabat, in pede conquestus est. Dr. Houlston membrum aspexit, quod ad visum, tamen, satis apparuit sanum; contrectavit, et digitis extremis simul pressit, sed frigidum atque sensus omnis expers invenit. Interim generalis hominis valetudo haud multum ab ea, quae naturalis, aberat. Brevi mem-

brum, quod certe erat expectandum, putredine affici incepit: et supra partem primo vitiatam, gangraena, nec Cortice Peruviano, nec opio, nec aëre fixo, nec Vino Rubro, nec aliis multis remediis communibus sistenda, sensim serpebat.

Hoc tempore primum forte hujusce casus historiam mecum communicarunt Medici solertes Dr. Houlston, et Dom. Park, qui medicina probe imbuti, plurima remedia incassum aegro praeceperant. Signa, nempe, Singultum, tendinum subsultum, somnolentiam, torporem, pulsus debiles, delirium sub noctem similiaque mecum in animo volvens, proximo die medicis illis, Moschum et salem Cornu Cervi conjunctos, quos in exemplis non multum hujus disparibus proficere antea videram, aegro adhibendos proposui. Aures faciles prae buerunt propositaque acceperunt generosi supra dicti. Remedii utriusque grana decem ter in die abhibita sunt. Eventum ipsis verbis Dom. Park auscultas, quae, ex epistola ad Dom. White, Mancunii Chirurgicum, missa, transcribenda curavi. Post signorum quae paulo supra comprehendi, relationem, progreditur Dom. Park.

“ Such was his state fifteen days ago, when he

egan to take the musk, as suggested by Mr. Darbey your apothecary: of this he took ten grains, with as much volatile salt, three times a day, in lieu of his bark draughts, which were consequently reduced to four in the day *. About the same time, the bark Cataplasms with Thebaic tincture were applied round the upper part of the limb. In three or four days after, he began the use of the musk, his nervous affections were so much abated as to induce us to increase the dose, by adding the above quantity to each bark draught, of which he again took seven daily as usual. In three days more, the appearance in the limb became more favorable; the Emphysema abated, the extent of the disease became more marked by an exact line; and the skin on the forepart of the knee, which had become livid, recovered a healthy colour: during this time the

* Aeger quotidie Haustus e Cortice Peruviano praeparatos septem ante hoc tempus sumperat: Haustus forma; R. Cort. Peru. opt. pulv. drachmam, Tinct. Cort. Peru. drachm. tres, Decoct. Peruvian. fescunciam, Sal. Tart. Scrupulum: f. Haust. cum succ. Lemon semuncia incipient, Effervesce. sumend. secunda quaq. hor. Haustus pro hora scmn. sumend. add. Tinct. Thebaic. gut. xxx. et Repet. ad gutta. xx. 2da. hora urgent. Dolor.

general health had daily improved. For these last eight days, the mortification has been totally stopt; some pus has been discharged from under the integuments about the knee: an evident separation is taking place, and granulations beginning to arise in some parts of the edges." Clarissimus Chirurgus tale dedit testimonium hujusce eximii remedii, super quo hic loci commenta nulla institutam.

J. Hurst, aetatis 29 ann. Os humeri, mox cubitalem supra articulum, infractum habuit. Actutum quodammodo composita sunt ossa diffracta, at brachio nimis arcte circumjectae habebantur. Die insequente (mensis scilicet Martii 16to, ann. 1789, ad valetudinarium, quod Mancunii est, deferabatur. Fasciis brachio amotis, cutis prorsus livida et sensus expers a summo humero ad digitos manûs fere visa est. Pulsus ad carpum nullus simul percipiendus. Fractura talis, qualem compositam dicunt Chirurgi, fuit. Cura diffractorum ossium primum habita, iisque, quae ad fragmenta in loco suo retinenda necessaria sint, adhibitis, praescriptum Apozema laxans et opere ejus peracto, Tinct. Theb. dosis, est.

Die 17mo. Nox inquieta et sine somno acta est. Dolor a cubito ad humerum vehementissimus, partesque eadem insigniter tument et inflammantur. Totum antibrachium gangraena afficitur, Corpus calet; lingua fordida aret; et albet: maximopere festinantur pulsus. Sumantur statim mistura salina cum aliquot Liquidi Laudani guttis, et Corticis Peruviani Tincturae paululum. Fetus spirituosus, anodynus, partibus affectis adhibeatur saepius in die.

18mo. Somnus interpellatus est. Ad pectus usque prorepfit inflammatio, et signa gangraenae in brachio graviora facta sunt. Decocti Cort. unc. duae cum ejusdem Tincturae drachma tertia quaque hora sumantur. Repetatur horis sextis haustus anodynus. Fetus ut antea.

19mo. Parum omnino proxima nocte dormivit: nixus ad vomitum et singultus fere constans; pulsus dimittuntur: respiratio difficillima; in humero et pectore inflammatio diffunditur et augeatur. Omittantur Cort. Peruv. decoctum et Tinctura. Capiantur statim Moschi et Alkali volatilis, utriusque gr. x. in bolum confectionis cardiacae auxilio efformata; et dosis hujusmodi tertia qua-

que hora repetatur : cum prima hujus remedii do-
si, opii gr. i. fumatur. Foveatur probe hume-
rus et pectus, qua doleant et inflammentur, et iis-
dem cataplasma commune superimponatur. *Hora*
somni. Vomitus pene cessavit : singultus multo
rarior : firmior pulsus minusque frequens est. Re-
petatur statim Haustus anodynus : Moschus et
sal. volat. ut antea : habeat vinum rubrum ad li-
bitum.

20mo. Nox solito quietior : somno brevi fruc-
tus est : pectoris et humeri inflammatio magis ob-
scura. Remedia omnia, ut heri praescripta, ad-
hibeantur.

21mo. Distinctio partes mortuas inter atque
vivas, prope muscoli Deltoidis insertionem pri-
mum observatur. Omnia levantur signa : animus
multo hilarior est. Continuentur Moschus et Al-
kal. volat. et vinum : fumatur Haust. anod. hora
somni.

22do. Partium mortuarum separatio nunc cla-
re discernenda est. Suppurationis signa subori-
untur. Tincturae Corticis Peruviani drach. duae
tertia quaque hora fumantur. Moschus et Alkal.
volat. sexta quaque hora ; vinum ad libitum.

23tio. Omittantur Moschus et alk. volat. continuentur vinum et tinctura, ut supra praeceptum est.

24to. Pars humeri superior et pectus multo melius videntur. Probe suppurat id, quod debet. Continuentur remedia.

25to. Perficitur demum Separatio. Membrum mortuum apud fracturam amotum est. Paucos post dies, extremitas ossis humeri comminuta Serra idonea ablata est. Hoc a tempore, omnibus in melius versis signis et viribus sensim recuperatis, affines in rure agentes visere maxime ardebat aeger: quamobrem e Nosocomio Junii die 8vo. sanus fere dimotus est.

S. Kershaw annos 17 natus, ex arbore alta delapsus, tibiae et surae fracturam prope inferiorem earum extremitatem passus est. Eodem, quo incidebat casus, die, (Scil. Maii 13mo. ann. 1783) in valetudinarium Mancunienſe deductus est. Diffraetis officulis et acuminatis ferrae et forcipis auxilio remotis, (oblique enim fracta erant ossa) reposita, ea accuratione qua decet, fragmenta sunt. Orae vulneris recentis sibi invicem appositae Emplastro adhaesivo detinebantur. Linteis

idoneis impositis, fascia cum capitulis octodecim, quae Mindereri spiritu semper maduit, injecta est. Hisce ita compositis, aegrotus, de dolore universo fere conquerens, jacturam sanguinis unc. x. Statim, vena secta, fecit. Adhibitum quoque Apozema aperiens est.

Die 14to. Per noctem satis quievit. Crus nec multum doluit. Alvus nondum respondit: febris adest obscura. Repetatur Apozema.

15to. Valde inquiet noctu fuit. Alvus ter dejecta est. Pes insigniter tumet extremus et tegumenta tenduntur. Sumatur horis sextis opii granum unum et statim Julapium salinum.

16to. Pulsus admodum celeres et parvi. Cutis arida et maxime ardet. Inflammatio magna et ad genu pervenit, subinde delirium adest. Rec. Aq. Menth. simp. unc. vi. Syr. Simpl. Aq. Nuc Mosch. aa semiunc. Sal. Corn. Cerv. drach. cujus omni bihoria cochl. duo magna sumantur. *Vespere*, Fluxus sanguineus e vulnere factus est. Pes livescit. Totus intumescit Artus. Linea rubra, dolens, a pede ad inguen usque pertingit secundum femur interius.—Amoveantur fasciae omnes. Fortus spirituosus cruri admoveatur, et postea Cata-

plasma commune. Statum forma boli sumantur Moschi et Alkali volatilis ā gr. x. et dosis ternis horis repetatur.

17mo. Bolus hesternā nocte rejectus est. Medicamentum forma liquida datum retinebatur. Noctem sine delirio quietam quodammodo egit. Pes omnino est mortuus. Crus et femur inflammata ut ante manent. Remedia continentur eadem. Rec. Cort. Peruv. Decoct. unc. xiv. ejusdem tincturae fescunc. M. Capiantur Cochl. quat. om. bihora.

18vo. Nox transacta est inquietas. Alvus saepenumero dejecta debilitatem insignem attulit. Omittatur Moschus et Alkali Volat. continentur Cort. praeparata, et singulis dosibus adjiciantur gutt. v. Tinct. Theb.—*Vespere*. Pulsus frequentissimi et abnormes sunt. Siccissima cutis; arida atque fusca lingua. Iterum delirat aeger.—Omittatur Cort. Decoctum. Moschus ut antea repetatur.

19no. Per noctem actam bene requievit. Alvus semel tantum mota est. Nullum delirium. Pulsus boni. Cruris atque femoris tumor multum minuitur. Omittatur Moschus. Repetatur Cort.

Decoct. atque Tinct. ut antea praeceptum est.
 —*Vespere*—In pejus, sicut pridie, omnia ruerunt.
 Omittantur remedia mane praescripta. Iterentur
 remedia e Moscho et Alkal. volat. composita, ut
 antea.

20mo. Somno aliquo sed interpellato gaviscus
 est. Ischuria atque dolor abdominis adest. De-
 missio cathetere, emissio urina est. Humida aliqua
 ex parte lingua: inflammatio artus affecti qua-
 dantenus imminuitur. Suppuratio in vulnere in-
 cepit. Omisiss Moscho et sale vol. praeparata e
 Cortice Peruv. iterum fumantur.—*Vespere*. Sig-
 na gravissima redierunt. Mosch. et Sal. Volat. re-
 fumantur.

21mo. Jucundiora hodie sunt signa. Inflam-
 matio artus fere penitus evanuerunt. Idoneam
 in suppurationem abiit vulnus. Continuentur
 Remedia.

23tio. Aspectus vulneris jucundus est. Re-
 mittuntur reliqua signa. Omnia medicamenta o-
 mittantur. Habeat vinum rubrum ad libitum.

24to. Supra ossa fracta pollices circiter tres
 separatio partium mollium incepit. Continuetur
 vinum.

26to. Mortuae a partibus fanis et vivis repa-
rantur; et fibulae tibiaeque denudatae extremita-
tes relictæ sunt. Offa extrema, ferrae ope, tam
prope carnes vivas quam fieri potuit, remota. Illo
ex tempore appetitum et vires sensim recuperavit
atque, paucas post septimanas, e Nosocomio pro-
diit sanatus.

In hoc casu, aut nusquam, ni fallor, videre ef-
fectus hujus medicamenti eximios fuit. Omis-
sim Moscho et Sale. Alkal. Volat. recruduerunt
mala; quoties autem repetita erant, toties signa
mala conversa sunt in bona.

Haec exempla sunt pauca ex multis, quae pro-
ferre magnam ad utilitatem Moschi et Alkali vo-
latilis, in febribus inveteratis et gangraena adhi-
bitorum, confirmandam facile possum. Quicun-
que vero hujuscemodi plura videre cupiat, TRAC-
TATUM de partibus gangraena affectis earundem-
que curatione, a viro celeberrimo Carolo White
Armigero, Nosocomii Mancuniensis Chirurgo,
Societatis regiae Londinensis Sociae &c. &c. cito
edendum, consulat.

Ante Tentamini huic medico coronidem quam
imponam, memet vinculis, quotquot gratis esse

deceat, obstructum habeo, animum pergratum, ob
 multa beneficiorum documenta, palam praedicare,
 quibus me prosecuti MEDICI, CHIRURGI ET CU-
 RATORES VALETUDINarii MANCUNIENSIS
 sunt, cum ejusdem MEDICAMENTARIUS, annos
 viginti, agebam. Diu benigni floreatis inopum
 defensores, aegris auxilium, et miseris dulce sola-
 men, ferentes !

T A N T U M.



